







[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]

6
3
4
2
3
4
5
6
7



1683.

1. 2^{ta} Coccejus, Henricus: De bonis vacantibus. (vulgo)
von Erbbösern Gittern. 3 Saempfl.

3. Coccejus, Henricus: De iudice in propria causa.

4. Textor, Joh. Wolff: De casibus nonnullis.
1684.

14^{ta} Coccejus, Henricus: De concursu plurium iurisdictionu-
rum in eodem loco.

29^{ta} Coccejus, Henricus: De fundata in territorio,
et plurium locorum concurrente potestate

3. Coccejus, Henricus: De successione ab intestato
et hereditatis divisione Rec. 1706.

49^{ta} Coccejus, Henricus: De instrumentis notarij praecipuis
clausulis instructis. 2 Saempfl 1684: 1710

5. Textor, Joh. Wolff: De geminatione ejusque effectibus.

6. Textor, Joh. Wolff: De executione contra tertium.

7. Thülimarius, Henricus Güntherus: De archiepiscoporum
pallio et aliis insignibus.

1685.

- 1^a Coccejus, Henricus: De fidei Fuldeantibus 2 Exempl.
- 1^o Coccejus, Henricus: De pignoratibus et hypothecis
2. Coccejus, Henricus: De jure tertii
3. Coccejus, Henricus: De jure victoriae diverso a jure belli.
4. Coccejus, Henricus: De mora.
5. Spina, Johannes de: De poena non confecti ab here. de inventariis
6. Spina, Johann; de: De obligatione successorum ex facto antecessorum
7. Tentor, Joh. Wolff: De successione ex linea.

hd
s
ere

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

BONIS VACANTIBUS

(vulgò) von

Erblösen Gütern /

Q V A M

Triuno adfistente

DECRETO ET AUTHORITY
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,

In Perantiqua Electorali
HEIDELBERGENSI UNIVERSITATE

SUB PATROCINIO

VIRI MAGNIFICI CONSULTISSIMI

DN. HENRICI COCCEJI

ANTECESSORIS ET CONSILIARII

STATUS ELECTORALIS PALATINI
MERITISSIMI

Patroni & Præceptoris sui

perenni observantiæ cultu suspiciendi

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET

PRIVILEGIA RITE CONSEQUENDI.

Publico Eruditorum Examine subijcit

PHILIP. REINHARDUS Frühweiller /

Neustad. Palat.

Ad D. Decembr. MDCLXXXIII. H. L. Q. S.

Heidelberga, Literis SAMUELIS AMMONII, UNIVERSIT. Typogr. 5.

~~SERENISSIMO~~ PRINCIPALI

50p

AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

COM. PALAT. RHENI

S. ROM. IMP.

ARCHITHESAURARIO

ET PRINCIPALI ELECTORI

DUCI BAVARIÆ &c.

PIO FELICI AUGUSTO

PATRIÆ PATRI

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Hæc Disputationis pagellas

non tam vacantes

quàm

Jure debitas

offerre

SERENITATIS SUÆ ELECTORALIS

Devotissimus Cliens

PH. REINHARD, Grützweiler.

21



THESIS I.



Bonorum appellatio in jure nostro aliter atque aliter accipitur, secundum Jctum in *l. 49. d. v. s.* aut naturalis est aut civilis; Naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est beatos faciunt, beare est prodesse *d. l.* Atque hinc fortassis brocardicon illud, Beati possidentes, quod possessor eo ipso in pari causa melioris conditionis sit, dum possidet, ac ille qui ex interdicto possessionem adipisci aut sibi restitui vult. *c. 56. d. R. J. in 6. arg. l. 125. ff. eod.* Civiliter autem si bona sumantur, universum patrimonium complectuntur, eoque non tantum commodum, verum etiam incommodum comprehendunt, quod in bonorum possessione, quam prætor ad imitationem hereditatis ex jure Civili descendente introduxit, est videre, in *l. 1. 2. & 3. d. bon. possess. & tit. Inst. eod.*

Thes. II.

Accipiuntur autem aliquando bona in stricta significatione, quatenus denotant singula corpora, quæ in dominio nostro sunt, *ut in l. 1. §. II. vi bonor. rapt.* vel latè ita ut universum patrimonium comprehendant, ut in acquisitione per arrogationem *t. i. Inst. de acquis. per arrogat.* In bonorum venditionibus ex Scto Claudio *tit. Inst. de success. subl. qua fieb. per vend. ex Scto Claud. & bonorum possessionibus d. l. 1. 2. & 3. d. bon. possess.*

Thes. III.

Vacantia dicuntur, quasi domino vel possessore vacua, quæ nec jure nec facto detinentur ab aliquo *l. ult. C. d. bon. va-*



cont. lib. 10. Quemadmodum possessio dicitur vacua, quæ à nullo detinetur, *l. 37. §. 1. d. usurpat. & usucap. l. 18. in fin. d. cont. emt. fundus vacuus, qui à nemine occupatus l. 33. locat. & vacans portio, l. ult. d. bon. possess. secund. tabb. Sextans vacuus l. 8. eod. hæreditas vacua in l. 30. d. vulg. & Pupill. substit. quæ à scriptis hæredibus adita non est. Et aliquando caducorum nomine veniunt, ut constat ex *l. fin. C. Theodos. d. bon. vacant & in d. l. ult. C. d. bon. vacant.* patrimonium cadens appellantur; In Regno utriusque Sicilia bona excadentia & mortitia, in *Constit. R. V. S. lib. 1. t. 85 ac lib. 3. tit. 5. ubi Matth. de Afflict. in Constit. Neapol.* In Gallia Droit de desherence, Constantino ἀκληρονόμητα & aliquando ἀδέσποτα, eò quod dominum i. est heredem non habent, sonant, in vernaculo Erblose aliquando Herrenlose Güter dicuntur.*

Thes. IV.

Bona vacantia sunt res, quæ nullum heredem assertoremve habent. *Perez. ad tit. d. bon. vacant n. 1.* Generis loco voc. res ponitur, non referendo ad corpora, ut in rei vindicatione, *l. 1. d. R. V.* Sed & ad res incorporales, *tit. Inst. d. reb. corpor. & incorp.* Jura, actiones & nomina *d. t. & l. rei 23. d. V. S.*

Thes. V.

Dictum est, quod bona vacantia sint, quæ nullum heredem habent, seu testamentarium, *l. 70. d. A. v. O. H.* seu legitimum *d. l. 70. & l. 8. d. H. P.* Aliàs si defunctus testamento facto, in quo heres nominatus est, decessit, quoniam spes adeundæ hereditatis pendet, fortè conditione heredi instituto adjecta *l. 6. §. 1. d. hered. instit. §. 9. Instit. eod.* vel herede utrum hereditatem adire vel se immiscere, an repudiare vel abstinere velit, deliberante *§. 5. Inst. d. hered. qual. vel diff.*
 he-

hereditas non tam vacans, quàm jacens s. nondum adita cen-
setur, l. 13. §. 5. *quod vi aut clam* & illud tempus (adita here-
ditate) de medio trahendum est, l. 5. §. 20. *in fin. ut in poss. bon.*
Sin scriptus heres eò quod conditio ipsi adjecta defecerit, vel
alià justâ de causâ non possit aut non velit hereditatem adire,
res ad intestati causam devenit. Intestatus enim habetur,
non modò qui omnino testamentum non fecit, sed & qui id
jure non fecit, aut quod fecerat, ruptum irritumve factum est,
aut si ex eo nemo heres extitit *pr. Inst. d. hered. qua ab intest.*
defer.

Thes. VI.

Re ita ad intestati causam redactâ legitimo successorì locus
superest; horum autem nemine extante bona fiunt vacantia.
eaque fiscus occupat l. 1. C. d. *bon. vacant. lib. 10. ibi intestato-*
rum res, intestatorum bona, & verb. qui sine legitimo herede;
item fisci nostri rationibus vindicandas & l. 4. C. eod. verb. bo-
na ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis
linea vel juris titulo legitimum reliqueris intestatus heredem. An-
tè autem quàm ulterius procedimus, videamus, quid sibi ve-
lint verba d. l. 4. *ex qualibet sanguinis linea vel juris titulo legi-*
timum heredem & qui eorum appellatione intelligi debeant.
Sub linea sanguinis comprehenduntur, tam qui ex linea de-
scendenti quàm collateralì defuncto juncti sunt, ut statuunt
Dd. communiter. Juris titulo autem pro legitimis habentur,
adoptivi, ex legis dispositione succedentes l. 1. §. *fin. d. suis*
& legit. l. 8. C. d. adopt. arrogati §. 3. Inst. d. adopt. & conju-
ges l. un. ff. und. vir & ux. & l. un. & Auth. praterea C. eod.
ubi favore matrimonii constitutum est, ut deficiente propin-
quorum legitima successione conjux, non fiscus succedere de-
beat & possit, atque eo amplius ejusdem intuitu provisum, ut
siquidem defunctus locuples, superstes verò inops reperiatur,

& dos aut antenuptialis donatio non sit constituta, cum liberis communibus in quartam, si tres vel plauciores; si plures sint, in virilem portionem admitti debeant. *d. Auth. & Nov. 53. c. ult.* Et hanc partem ad suos quoque heredes transmittit, *Corn. consil. 324. n. 4. referente Peregr. d. jur. fisc. lib. 4. tit. 3. n. 4.* Affines autem à fisco excluduntur, affinitas enim successionem non tribuit, *l. 7. C. com. d. success.* adeo ut & socer per fiscum excludatur, *Castrens. Alex. Decius & alij ad d. l. un. C. und. vir & ux. Peregr. d. l. & n.* & tutor in successione pupilli *Peregr. d. l. n. 18.* neque obst. *l. quo tutela 73. d. R. J.* ut quæ de legitimo tutore agit. Patronus tamen in successione liberti præfertur fisco §. 3. *Inst. d. success. libert.* & liberi naturales eatenus fiscum excludunt, quatenus aliàs ab intestato ad successionem admittuntur, *vid. Auth. Licet patri C. d. liber. natural. Nov. 89. c. 12.*

Thes. VII.

Addimus quod nec assertor earum rerum ad hoc ut bona sint vacantia, extare debeat. Nam quamdiu vindex earum rerum superest, nondum fisco locus succedendi patet; Hinc licet fiscus bona alicujus, dum probabili ex causa, veluti studiorum &c. abesset, ut vacantia propter diutinam ejus absentiam occupaverit vel occupare velit, ipse ea vindicare, in eaque restitui rectè petere potest *l. 28. ex quib. caus. maj. 25. ann. in integ. rest.* Sic & miles ab hostibus captus, si ejus bona ex aliquorum fortè relatione, qui eum inter occisos mortuum vidisse affirmant, tanquam vacantia occupata sunt, potest utpote ex justa causa absens *l. 7. & l. pen. d. t.* ubi rediit, petere in bona sua restitui, eaque jure postliminii recuperare *t. t. C. d. restit. milit. junct. §. 5. Inst. quib. mod. jus pat. potest. solv.* Definitione sic examinata, jam videamus qua lege & jure, quibus personis jus bonorum vacantium competat. quæ res, quo.

quoque processu occupentur & quid earum causâ fisco præstandum vel non præstandum incumbat.

Thef. VIII.

Equidem lege Papiâ quæ & Poppea & tempore Augusti M. Papio Mutilo & Q. Poppæo Consf. lata dicitur, inter alia capita constitutum erat, ut si scriptus heres vivo adhuc testatore moreretur, vel eo mortuo ante apertas tabulas deficeret, nihil ejus heredibus compereret, sed bona omnia tanquam caduca fisco addicerentur, vindicarenturque ut caduca, unde & Caduciaria, & Julia Caduciaria *fragment Ulp. tit. 28. §. 7. appellatur, Perez ad tit. C. d. cad. tollend. n. 1.* Originem autem ei legi dedit egestas pecuniæ rerum gerendarum nervi, nam cum hinc & inde ab hostibus esset infestatus populus Rom. l. 2. §. 18. d. O. J. iis resistendis bellum erat parandum, quod sine magnis omnino impendiis & sumptibus fieri haud poterat; Cumque ærarium huic rei non sufficeret, lex hæc lata est, cujus beneficio bona caduca fisco adscribuntur; & in statu quidem Democratico ea capere penes populum erat *Ulp. d. fragment. l. cit. ibi populo bona deferuntur.* Postquam autem summa rerum potestas à populo ad Impp. delata fuit l. 2. §. 11. d. O. J. §. 6. *Inst. d. J. N. G. & C.* illi vigore superioritatis in se translatae id sibi jus asseruerunt & exercuerunt, usque dum Justinianus id certâ ratione *per l. un. C. d. cad. tollend.* Sustulit atque constituit, ut heredibus legitimis hæc bona, excluso fisco, relinquuntur cum onere tamen iis adscripto; Illis autem deficientibus, adhuc fisco locum fecit. d. l. un. §. 13.

Thef. IX.

Quando igitur nullus ex testamento vel ex qualibet sanguinis linea aut juris titulo heres extat, Imperator seu Rex Romanorum ut olim caduca sic bona vacantia

oc-

occupat, eaque jure Regalium fisco addicit, quod non demum per text. constitutionis Friderici I. *in 2 f. 56.* Sed jam ante eam constitutionem obtinuisse argumentum ejus evidens est *l. 1. & l. 4. C. d. bon. vacantib. lib. 10.* Ubi ex constitutione Impp. Diocletiani & Maximiliani, nec non Honorii & Theodosii bona vacantia fisco Imperatorius vindicat, adeò ut in *d. l. 1.* aboleantur privilegia civitatum id jus veluti ex permisso sibi vindicantium, & hactenus inter regalia Imperatori in signum superioritatis & eminentiæ reservata numerat *Menoch. consil. 302. n. 23. & seq. Decian. consil. 123. n. 11. lib. 3. Rosenthal d. feud. c. 5. concl. 52.* & hinc dergleichen Erblose Güter dem Kais. Fisco ohne Mittel heimfallen. *Molin. d. J. & J. disput. 53. vers. bona etiam eorum* & competunt Imperatori utpote supremo Domino superiorem non recognoscenti *Molin. in consv. Paris. §. 43. gloss. 1. n. 169. Sixtin. d. regalib. lib. 1. c. 1. n. 14.* Nam & mundi Dominus audit *l. 9. ad leg. Rhod. d. jact.* adeò ut Sixtinus *d. l. n. 20.* existimet, posse vel debere potius regalia ad solum Imperatorem coarctari, cujus sententia magis confirmatur ex tenore privilegiorum ab Impp. & Regibus Romanis, Serenissimis Comitibus Palatinis & Electoribus à multis retrò annis concessorum, eorumque singulari Maximiliani I. Imp. d. 3. Sept. anno 1518. facta confirmatione lucidiùs patescit, ubi Imp. inter alia jus bonorum vacantium sibi suisque Successoribus aliàs competens hisce concedit verbis *ibi uti etiam aliarum personarum, si legitimum heredem non habent aut relinquunt, hereditatem & bona immobilia, nomina, pignora, Ceteraque ubicunque sita, sine ullius, rei exceptione, que aliàs secundum scripta Jura Nostræ Nostrorumve successorum in Imperio Imperatorum aut Regum Camerae cessura fuissent, &c.*

Thef. X.

Ex quibus constat, jus bona vacantia vindicandi, antequam territoria facta sunt hereditaria Statuum Imperii, absque dubio soli competiisse Imperatori jure superioritatis ac Majestatis, eique vicinum est jus Albinagii, quod quibusdam in regnis præter jus vacantium bonorum inductum est. In Gallia Jus Albinagii Germ. das Fremdlings Recht. (Gallicè le Droit d'Aubeine) consuetudine introductum viget, quo Rex in bona peregrini, nondum regnicolæ facti succedit, exclusis legitimis heredibus, nisi & hi regnicolæ sint facti à Rege, idque soli Regi in signum superioritatis, exclusis omnibus inferioribus, etiam merum Imperium habentibus, competit *Manual. Jurisprud. publ. Fritschij voc. Albinagium.* Sic & in Regno Neapolitano, si vasallus moriatur intestatus sine heredibus, in bonis Burgenlaticis non Baro, sed Rex succedit *Affl. et. in Constit. Regn. lib. 3. rub. 10. n. 4.* & in bonis vacantibus succedere illum non qui territorium vel jurisdictionem habet, sed fiscum Principis voluit *Tiraquell. in Tract. le Mort. saisit. p. 2. declar. 15. n. 11. post Alexand. cons. 31. col. 1. vers. ex his infero. lib. 1. Klock. d. arar. lib. 2. c. 136.*

Thef. XI.

Verùm enimvero cum Principes & Status Imperii Rom. Germanici in territorio suo vigore Jurisdictionis territorialis, Kraft habender Lands Fürstlichen Obrigkeit / der Lands Hohen Obrigkeit / Lands Hoheit und Herrlichkeit / tantum, imò sæpe plus, possunt, quantum Imperator in Imperio, adeoque ibidem Imperatorem representant, ac illius vicem obtinent, *Zaf. lib. 2. cons. 1. n. 31. Gylman. Symphon. 1. t. 3. vol. 3. n. 18. Schulenburg in disput. Quilibet Status tantum potest in suo territorio quantum Imp. in Imperio. ejusque intuitu ipsis regalia omnia tribuunt Bossius d. regal. n. 2. Bruckman. ad rubr. que sint regalia*

B

c. 2



c. 2. n. 1. Schneidewin. in Epit. Feud. part. II. n. 94. Rosenth. d. Feud. c. 5. conclus. 1. n. 2. Sixtin. d. tr. lib. I. c. 1. n. 20. & bona vacantia in territorio suo jure superioritatis ipsis competere negandum non est. Aliis autem, qui jura territorialia non habent, id jus non competit, nisi iis ex speciali concessione, aliove privilegio quæsitum sit.

Thef. XII.

Ex quibus confectaneum est, Statibus & Civitatibus Imperii mediatis, jura territorialia non habentibus *Knichen. d. jurisdict. territ. c. 1. n. 337. Wehner. obs. pract. verb. Land Fürstlich* hoc regale bonorum vacantium jure proprio non competere. Appellantur hi alias Landsassen / & ab aliquibus ad eos dignoscendum à cæteris regula traditur, quando statuunt ita; Quæcunque terra non est immediata, nec reperitur vel in matricula Imperii sive in des Heiligen Reichs Anschlägen / præsumitur esse de territorio ac provincia Principis illius, in quâ sita est. *arg. l. 1. §. initio. d. off. præfect. urb. l. 239. §. 8. d. V. S. Meichsner. 1. rer. jud. decis. 50. n. 31.* Quod ut in dubio admitti possit, certum tamen argumentum ideo induci nequit, quia nulla adhuc extet matricula (licet complures sint) quæ ita sit absoluta, ut singulos Imperii Status recenset, & ibidem non nominatos excludat; nam nec ea quidem quæ anno 1521. Wormatiæ edita, satis perfecta habetur per *R. J. d. anno 1576. §. Wann auch zu Franckfurt. & R. J. d. anno 1594. §. Wann auch bey voriger tractation. adhuc imperfecta est, R. J. d. anno 1570. §. Als wir weiters junct. §. Wann dann & d. anno 1576. §. Derhalben.* Quo modo concedi quoque potest, eos qui d. matriculæ inserti sunt, tamdiu pro statibus haberi debere, quamdiu contrarium non probatur. Matricula enim tanquam instrumentum publicum licet

licet jus Status non conferat, quasi possessionem tamen Status probat, *Gail. lib. 1 obs. 21 n. 7.* eique hactenus standum est, donec emendatior producat, quæ in Instrumento Pacis Cæsareo Gallicæ §. 64. & Cæsareo-Svecico art. 8. §. 3. quidem promittitur & hactenus expectatur.

Thef. XIII.

Minus quadrat, quod collectarum impositio des Reichs Anschlag Imperii subditum immediatum facere debeat: Ita enim Rex Poloniæ, eò quod aliquando Imperio tributum solverit, teste *Herm. Conringio d. finibus Imperij c. 18. p. m. 243.* immediatus Imperii civis dicendus esset, de quo tamen nemo unquam id affirmavit: & è contrario Rex Bohemiæ secundum traditam regulam pro immediato Imperii cive non esset habendus, eò quod nulla tributa Imperio solvat, qui tamen præter suffragium eligendi Imperatorem, primariam inter Seculares Electores sedem obtinet, ut constat ex *A. B. tit. 4. §. Tertio.*

Thef. XIV.

Illud tamen patet, omnem eum, qui nullum in terris suis nisi Cæsarem & Imperium agnoscit superiorem, immediatè Imperio alii subesse. Sunt autem hi bipartiti; alii immediatè Imperii tantum subditi sunt, quales sunt Nobiles in Suevia, Franconia, & tractu Rheni. de quibus agitur *R. J. d. anno 1555. §. Diweil/ ibi So dem Reich ohne mittel unterworffen/ & R. J. d. anno 1654. §. Und wollen wir. ibi. Gegen denen so nicht Stände des H. Reichs/ jedoch dem H. Reich immediatè unterworffen.* Alii verò amplius sunt Status Imperii, & cognoscuntur ex Jure suffragii, quod in comitiis habent, quales sunt Electores & Principes tam Ecclesiastici quàm Seculares, nonnulli Prælati, Abbates, Comites, Barones & Civitates, & hi in A. B. à comitorum Curia vocantur Curiales,

Eingeleitete Glieder der Kaiserl. Majestät. Unde jam concludunt: Quilibet Status Imperio quidem immediatè subest, non tamen contrà, omnis immediatè Imperio subjectus confessim est Status Imperii.

Thef. XV.

Quum igitur Nobiles immediatè Imperio subjecti æque ac reliqui Status ratione terrarum suarum superioritate territoriali gaudent, ut ex iis, quæ modò dicta sunt, patet, *conf. Bidenbach. q. nobil. 1. n. 7. & seqq. Mager. d. Advocat. arm. c. 6. n. 107. Knipschild. d. Civit. Imper. c. 6. n. 6.* non minus quàm hi vigore ejus bona vacantia vindicare possunt; nisi aliud privilegio, præscriptione aut pacto obtineat. Etenim non necessarium consequens est, ut cui competit superioritas territorialis, eidem competat jus bona vacantia occupandi & contrà; Sic licet Principes, Status vel Nobiles Imperii superioritatem habent, quædam tamen jura territorialia, v. gr. jus vectigalium, jus conducendi, jus bona vacantia vindicandi &c. salva omnino superioritate aliis competere, ab iisque exerceri possunt. *Ahasver. Fruschius in Manul. Jurisprud. publ. voc. Superioritas territorialis §. non igitur. p. m. 362.* Ejus rei inter alia luculentissimum nobis suppeditat exemplum Patria nostra Palatinatus, in quo Serenissimi Electores Palatini jura vectigalium, conducendi, & bonorum vacantium in certis vicinorum locis, ab innumeris Impp. per singularia diplomata & investituras collata, à multis retro seculis inviolabiliter (quamvis quidam ante aliquot annos ea frustra arrodere sat-egerint) exercuere, uti compluribus ex *Tract. Justitiæ Causæ Palatinæ part. 1. c. 3.* & actis compromissi Hailbronnenensis videre est, eaque etiamnum re per *Laudum Heilbronnæ decisâ & stabilitâ jure merito exercent.*

XVI. E

Thef. XVI.

E contrario non sequitur; habet regalia quædam, v. g. jus bona vacantia occupandi, E. habet jurisdictionem territorialem. Multos enim hoc seculo inveneris, qui regalia possident, nec pagum verò habent, ut ait Frider. Mindanus *lib. 2. d. Mandat. Cam. c. 36. n. 6.* & experientia testatur, non paucos esse, qui regalia habent, etiam si superioritate sive universali jurisdictione destituantur. *Sixtin. d. Regal. lib. 1. c. 1. n. 18.* Ea tamen jura non aliter quàm ex concessione & privilegio Imp. & Principum aliorumve jus fisci & bonorum vacantium habentium exercent, nam mediati Imperii Subditi & civitates municipales suo jure fiscum non habent *Bart. in l. 1. C. d. bon. vacant.* sunt enim instar privatorum *l. 16. d. V. S. l. 10. ad municip.* quamvis bursam & arcam communem habere possint *l. 1. §. 1. quod cujusque univers. nom.* Sic igitur non nisi ex concessione & privilegio fiscum habent, cujus jus eò magis fundatum est, si sub clausula derogatoria ad jura in contrarium obstantia, concessum fuerit. *per l. 1. & 2. C. d. petit. bon. subl. lib. 10. Pereg. d. tract. l. 4. t. 3. n. 19. vers. & adde.*

Thef. XVII.

Confertur aliquando jus bonorum vacantium immediate ab Imperatore in vim privilegii vel feudi; aliquando verò consuetudine præscriptione, ut infra dicetur, acquiritur. Prioris generis exempla superius alleg. Imp. diplomata jus Palatinum concernentia suggerunt, quorum vigore Principes Comites Palatini ad Rhenum bona eorum, qui legitimum heredem non habent aut reliquunt, sibi vindicant. His accedit privilegium Reipubl. Norimbergensi à Carolo V. datum, iterumque à Rudolpho II. anno 1577. confirmatum, quo ei Reipubl. jus in bona vacantia succedendi, eaque vindicandi conceditur. *Klock. tom. 1. consil. 22.*

B 3

n. 38.



n. 38. Ubi tamen notandum, quod si alicui mediato Imperii subdito ab Imperatore aliquod regale vel aliud beneficium aut privilegium conceditur, id intelligi debeat cum expressa reservatione juris Principi, cui ille subest, competentis. per R. J. d. anno 1548. §. Wiewohl auch. de quo etiam nominatim cavetur in Capitul. Leopold. §. 3. ibi Niemand einig Privilegium darwider ertheilen / nam alteri per alterum non debet iniqua conditio interri, ut habet regula juris in l. 74. d. R. J.

Thef. XIX.

Non verò Imperatoris vel Principis munificentia arctis adeo cancellis est circumscripta, ut eam privilegiis vel concessionibus, aliisque actibus liberalibus in condignos pro lubitu exercere nequeat. Eoque splendidior est, & majoris efficaciam, quod beneficia inde profecta quàm latissimam capiunt interpretationem l. 3. d. constit. Princip. adeò ut si domus alicui donata sit, siquidem additum sit, integro statu donatam esse, ea vis contineatur, ut cum adjacentibus & fructibus & omni jure suo, quod ad instructum possessionis vel domus pertinere potest, donata esse præsumatur l. 2. C. d. bon. vac. Aliter ac in donatione inter privatos, in qua non nisi quod expressum est, donatum intelligitur arg. l. 25. in fin. princ. de probat. nisi vera & perpetua sit rei accessio, aut adeò ei coherereat, ut difficulter aut sine magno rei detrimento avelli non possit. l. 21. & l. 26. d. fund. instr.

Thef. XIX.

Hinc jam quæritur, si Princeps alicui castrum donavit, vel in feudum concessit, an etiam regalia donata esse censeri debeant? Resp. Neg. Non enim invicem pugnant, alium jura regalia habere, alium emolumentum & utilitatem ex castro capere, cum jurisdictio regalium sine castro, & hoc sine
illa

illa, salvâ substantiâ bene subsistere & ab invicem separari possunt. Peretz *ad d. r. d. bon. vac. n. 5.* & tali casu concludendum est, Principem, qui castrum contulit (nisi aliud à donatario probetur) tantum eos cum castro donare voluisse proventus, qui ex privatis ejus juribus & pertinentiis, denen Ans und Zugehörungen veluti pascuis, nemoribus, agris & simili- bus; quin & aliquando per venationem & aucupium percipi possunt. *Anton. Faber C. d. jurid. defin. 17. Amaya ad l. 2. C. d. bon. vacant. n. 20.* ubi plures Dd. refert. Peretz *d. l.* Nec censendum est, Principem facile jura regalia à se abdicare voluisse.

Thef. XX.

Quod modò dictum est, regalia per talem donationem non censi translata esse, adeò obtinet, ut etiamsi alicui castrum cum mero & mixto Imperio donatum sit, nondum ea translata censi debeant. Differunt enim hæc invicem ut genus & species. *Michael d. jurisdic. conclus. 44. Knicken d. jur. territ. c. 1. n. 251. Myller ab Ehrenbach d. Princip. & Stat. Imp. R. Germ. part. 2. c. 36. n. 3.* Sic enim compulures inveniuntur civitates municipales, quæ merum & mixtum imperium ex singulari privilegio & concessione habent, *Stephan. d. jurisdic. 2. part. 2. c. 2. n. 17.* non tamen ideo dicendum, regalia ipsis concessa esse. De Ducatu Wurtembergiæ asserit præfatus Myller *d. l. c. 48. §. 18.* quod ejus Ducatus Civitates ex singulari Principali privilegio merum imperium possideant & exercent per *Statut. Ducal. Wurt. part. 1. fol. 49. & Ord. Ducal. fol. 336. & 238.* Quis jam his Civitatibus regalia in genere adscribere vellet? & hoc adeò verum est, ut aliquando unus habeat altam ut vocant jurisdictionem, die Malefische Obrigkeit/ Alter bassam, die Nieder-Gerichte/ tertius die Lands-Fürstliche Obrigkeit; & ideo ab una aliqua regalium specie ad
uni-

universalem jurisdictionem territorialem non rectè concluditur, neque procedit v. g. Er hat das Malefiz Ergo So hat er die Landsfürstliche Obrigkeit. *Joan. Gæddaus 2. Conf. Marpurg. 28. n. 163. & 164. Knipschild d. Civit. Imper. lib. 3. c. 6. n. 45. & 47. & lib. 1. c. 12. n. 145. Myller d. l. §. 16.*

Thef. XXI.

Hinc alia Quæst. resultat an scil. si constat, jurisdictionem simul concessam esse, eo nomine omnis jurisdictio atq; adeo etiam superior, die Obergerichte/ Halsgerichte / eò quod hodie jurisdictionis appellatio ut plurimum generaliter accipitur, concessa esse videatur? Resp. Non videri verius est, quod hæc species jurisdictionis ob graves & arduas, quas continet, causas, specialem requirit concessionem *conf. Aristot. 4. Polit. 14.* adeoque appellatione ejus, nisi expressè & disertis verbis aliud permittatur, inferior saltem jurisdictio concessa videbitur. *Knichen. d. vestit. paction. c. 1. n. 54. & seq. n. 122. & seqq. Struve S. J. F. c. 6. aph. 18. n. 4.* Nisi concessio sit facta in titulum majoris dignitatis; veluti Principalis, Comitivæ &c. tunc enim fiscalia & regalia & jurisdictionalia concessa & translata habentur. *Bald. in c. 1. in ult. not. tit. que sint regal. Afflict. in rubr. n. 68. cum seq. Pereg. d. t. lib. 1. c. 2. n. 76.* Non tamen jura Imperatori vel Principi reservata, utpote præminentia & supremi Imperii signa, quæ non nisi nominatim tribuuntur. *l. pen. d. off. præsid.* concessa erunt, sed ea tantum, quæ superioritatem territorii concernunt, adeoque jus bona vacantia occupandi, tali concessione quoque comprehenditur; nisi in ipsa concessione reservatum, aut consuetudine præscriptione, ut sæpius dictum est, illud alii acquisitum sit, *Babadill. in sua polit. lib. 2. t. 16. n. 70. & n. 216. lit. 6. & Belluga in specul. Princip. rub. 22. §. & quia quotidiana n. 60. & seq. Perez. ad d. t. n. 8.*

XXII.

Thef. XXII.

Quo autem tempore hoc jus per præscriptionem acquiratur, non constat aliis 30. aliis 40. años, aliis imemorale tempus ad id requirentibus. Nos censemus ad jus bona vacantia vindicandi præscribendum, quatenus est regale, tempus imemorale, & cujus initii memoria non extat *l. 53. cum. Auth. seq. C. d. SS. Eccles. c. 1. d. præscript. in 6.* requiri, quippe quo tempore regalia præscribuntur, *c. super quibusdam 26. §. præterea extra d. V. S. l. 3, §. 4. d. aq. quotid. Gebhard. d. success. ab. intest. sect. 5. n. 11. & 12. Richter. 1. decis. 21. n. 52.* Habet enim ejusmodi præscriptio vim privilegii constituti & concessi à supremo Principe, & inducit præscriptionem juris & de jure pro titulo & concessione privilegii, quæ non admittit probationem in contrarium. *Bart. in l. 1. column. ult. C. d. summ. Trinit. Oldrad. conf. 172. Bald. consil. 439. amplius, colum. 4. n. 3. Roland. à Valle consil. 59. n. 17. in 4.* Quæritur, An & domino supremo ignorante? Aff. Præscriptio enim non tantum scientibus, sed etiam ignorantibus currit, & sunt jura vigilantibus scripta, cum vix sit, ut non videatur alienare, qui patitur rem suam ab alio usucapi. *l. 28. d. V. S.*

Thef. XXIII.

Fisco tum succedendi locum competere supra dictum est, quando nemo ex linea sanguinis vel juris titulo, aliusve assertor superest, qui hereditatem vindicet; ibidemque simul, qui eo nomine veniant, delineavimus. Sunt autem præter eos adhuc alii, qui ex certo & speciali privilegio fiscum, vel ab eo jus fisci habentem excludunt. Sic collegia licita & Universitates, veluti Decurionum &c. aliquo ipsorum sine herede defuncto succedunt in bona collegæ, excluso fisco. *l. 1. C. d. hered. decur. in bona militis succedit legio. l. 2. C. d. t. l. 6. §. 7. in fin. d. injust. rupt. irr.* An & in bona Studiosi

C

sine

sine herede mortui Academia succedit? Sic putat Angel. in l. 2. B. d. bon. vacant. Dec. in l. 1. C. und. vir & ux. Schneidervv. d. success. fisc. n. 21. Diff. Matth. d. D. 15. thes. ult. Præfectus prætorio in bona suorum Apparitorum, non fiscus succedit l. 3. C. d. Appar. Præf. prætor. lib. 12. Sic & Ecclesia in bonis clerici, nullum heredem relinquentis, postposito fisco succedit. l. si quis presbyter 20. C. d. Episc. & cler. Liberalitatis Imperialis socius, cui aliqua res cum alio communis donata est, socio absque herede defuncto, in re illâ fiscum excludit. l. 1. C. si liberal. imp. soc. lib. 10. Sic itidem Episcopus bona peregrini interim adit & servat, donec heres, qui ea vindicet, appareat, eo autem non existente, in pias causas erogat. Auth. Omnes peregrini. C. commun. d. success. Horum nemine extante, fiscus succedit, Quamvis quod h. th. dictos attinet plurimum consuetudini tribuendum.

Thes. XXIV.

Sed Quær. si defunctus in diversis territoriis bona possederit, utrum fiscus domicilii præferatur fisco loci rei sitæ, ita ut ille ubivis locorum existentia bona capiat, an verò quilibet in bona in territorio suo sita succedere debeat? Post. Affirm. quia in l. ult. C. d. bon. vacant. fiscus aliquando in parte bonorum succedit verb. ibi in parte bonorum vel in unâ alterave re, seu actione una vel etiam pluribus. Cui assentitur Pereg. d. tr. lib. 4. t. 3. n. 21. Consentitur enim bona ejus esse jurisdictionis, ubi sunt constituta, Innocent. & Dd. in c. venerabilem extra qui fil. sint legitim. quod utique in immobilibus indubium est l. 14. C. d. SS. Eccles. nam immobilia territorium, mobilia verò personam magis respiciunt, ut inquit Bald. in l. mercatores n. 1. C. d. commor. & mercat. Gail. lib. 2, Obs. 124. n. 18 Carpz. part. 2. c. 14. d. 54. n. 6. Mobilia igitur ad fiscum domicilii, ubicunque etiam sita sint, pertinent, cum non

non

non ubi sint, sed ubi esse debeant, spectandum sit, ut statu-
unt Dd. in l. 1. C. d. sum. Trinit. Carpz. lib. 6. t. 4. R. 38. n. 12.
nisi mobilia ad certum locum eâ intentione destinata sunt,
ut ibi perpetuò adinstar immobilium permaneant, tum enim
censentur esse de territorio & sub jurisdictione ejus, ubi sita
sunt, quod fit, quando scil. immobilibus affiguntur & annec-
tuntur ita ut facile ab iis nequeant divelli *Idem p. 3. c. 24. d. 10.*
n. 4. Quær. An & nomina? Resp. ea tertiam quandam bo-
norum speciem constituere patet *ex l. 15. §. 2. d. re jud. l. 7.*
§. 4. de pecul. l. 3. & 4. C. d. quad. presc. Gædd. ad l. 49.
d. V.S. adeò ut nec inter mobilia, nec immobilia propriè re-
ferantur, quia tamen personæ creditoris, ejusque ossibus, *gloss.*
in text. l. 3. pro soc. tenacissimè inhaerent, ut ab eâ non minus
quam anima à corpore separari possint ut dicit Carpz. *p. 3. c.*
12. d. 14. n. 6. & 7. Jurisdictioni ejus subjacent, sub qua cre-
ditor habet domicilium *ibid. n. 5.*

Thef. XXV.

Operæ pretium jam erit videre, quænam res ut bona
vacantia haberi debeant. Transeunt ad Fiscum omnes res,
quæ quolibet modo in patrimonio nostro existere possunt,
mobiles & immobiles jura, nomina & actiones, de quibus
suprà th. 4. nisi sunt talia jura, quæ ut certæ personæ debita,
cum eadem persona extinguuntur, qualia sunt usufructus, usus
& habitatio, *l. 3. §. ult. d. usufr. junct. pr. Inst. d. usu & habit.*
personalia enim jura cum personis extinguuntur, *l. 169. d. R.*
J. atque inutilis esset proprietates, semper abscedente usufru-
ctu *l. 8. d. usufr. legat.* quod etiam de emphyteusi intelligi de-
bet, quippe quæ, emphyteutâ nullis relictis successoribus
mortuo, ad dominum redit. *Serve S. J. C. Ex. XI. th. 72.* co-
dem modo feudum, Vasallo sine legitimo vel incapaci here-
de defuncto, ad Dominum revertitur. *l. f. 13. vers. etsi clien-*

112
culus. 2. f. 9. quamvis ex delicto bona sint confiscata. l. 48. §. 1. d. jur. fisc.

Thef. XXVI.

Rectè modò dictum est, Fiscum usufructuario, emphyteutâ & Vasallo, sine heredibus defuncto per proprietarium s. Dominum excludi eò quod tali casu bona nondum vacantia dici queant, directo quippe domino superstite, qui id jus certæ personæ vel familiæ intuitu concessit, eâ vid. conditione, ut extincta persona vel familia, ad se recideret. Unde magis convenienter Q. an igitur generaliter omnia bona, quæ domino carent, ad Fiscum eeu vacantia pertineant? & quid de rebus pro derelicto habitis statuendum? Resp. Res pro derelicto habitæ, utpote ea mente abjectæ, ut quis eas in dominio rerum suarum amplius habere nolit § 46. *Inst. d. R. D. statim cedunt occupanti, l. 57. d. A. R. D. s. 1. pro derelicto*, nec vacare dici possunt, quia non tam morte & casu, quàm factò hominis eas in Statum, quo nullius sunt, restituentis, domino carent; Sicut enim res occupando nostræ fiunt, ita & eas derelinquendo efficiuntur, ut iterum nullius fiant, iisdem enim modis bona nostra esse desinunt, quibus nobis acquiruntur *arg. l. 80. d. solut. l. 35. d. R. J. Cæterùm hodie etiam res pro derelicto habitæ, cedunt Fisco. Perez ad tit. C. d. bon. vac. n. 22.*

Thef. XXVII.

Non rectè verò pro vacantibus reputantur, quæ levandæ navis causa ob imminens periculum naufragii è navi ejiuntur, vel quæ navi ruptâ ad terram appelluntur, quamvis de quorundam locorum consuetudine aliter observetur, v.gr. Angliæ, Siciliae aliorumque Regnorum, ubi Reges Regaliaque exercentes ea sibi vindicant, ut testantur *Luc. de Penna. in l. 1. C. d. naufrag. Renat. Choppin. de Doman. Franc. lib. 1. c. 16.*

n. 6.

n. 9. & seq. Camil. Borell. d. Cathol. Reg. prestantia c. 75. n. 1. & seqq. Arnif. d. jur. Maj. lib. 3. c. 6. eò quod se vi jurisdictionis dominos littoris & fluminis arg. l. 3. nequid in loc. publ. Bornit. d. jur. Majest. c. 7. & juris sui æquitatem in eo consistere prædicent, quod non minùs, quàm in viis publicis cura & reffectio portuum littorumve ad eos pertineant. Klock. d. arar. lib. 2. c. 114. n. 15. nihil tamen vel rationibus illis ineptius, vel moribus his absurdus & iniquius, ùt loquitur Klok. d. l. 1. excogitari potest, quàm ex re omnino luctuosa & calamitosa, l. 1. C. d. naufrag. lib. 11. compendium cum alterius jactura capere. Æquior sanè neque satis laudanda est constitutio FridERICI Imp. in Auth. Navigia C. d. furt. quâ bona quæ per naufragium ad terram perveniunt, integra iis reservantur, ad quos ante factum naufragium spectabant, constitutâ insuper in transgressores publicatione bonorum. Quod enim jus habet Fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur. d. l. 1. & afflicto addat afflictionem. text. in l. divus. 14. d. off. presid. neque enim ex alieno fletu debet risus conciliari. c. 20. X. d. privilegii.

Thef. XXVIII.

Huic constitutioni non multum absolum est edictum Caroli V. Imp. quod anno 1547. d. 10. Decemb. edidit, eoquè sanxit, ut bona naufragorum è mari vindicata, nemo auferat, sed quàm primum nuntiet Quæstori proventuum aut Officiario loci, qui ei pro opera dignè satisfaciat; qui secus fecerit, puniatur. Cistæ clausæ, onera colligata non referentur, sed bona inventa serventur mercatoribus & dominis, qui si intra annum non compareant aut dominium probant, à Fisco excluduntur, eique bona acquiruntur, quòd videatur suas res deseruisse, qui eas intra definitum tempus non vindicat. Perez ad tit. C. d. naufrag. n. 29. Item Imp. in Ordinatione Sua Criminali art. 218, complures ejus generis ma-



510

las sustulit consuetudines atque prohibuit, ne in posterum valere debeant; consuetudines enim nisi sint rationabiles non valent. *c. 2. §. fin. & c. 3. dist. 8.* & quod contra rationem est introductum, non est producendum ad consequentias. *l. 14. d. legib.* & meminit. *Gail. lib. 1. Obs. 18. circa fin.* contra hujusmodi consuetudines in Camera ex d. constit. Friderici *Navigia*, mandata sine clausula decreta esse.

Thef. XXIX.

Alia ratio bonorum piratarum est, qui cum publicorum commerciorum turbatores & latrones dicantur *l. 3. §. 2. incend. ruin. nauf.* eosque hostibus fidei & Principis æquiparat Bald. *in d. Auth. in fin.* tanquam ipso jure diffidati possunt impunè lædi *Auth. Cassa C. d. SS. Eccles. 2. f. 22.* & eorum bona ut res hostium in bello captæ capientium fiunt, *d. Auth. & l. 5. §. 2. d. capt. & postlim.* neque ipsis sive in mari sive in littoribus, navi fracta aut illisa, occupata sint, restituuntur. *Covarruv. ad reg. peccatum p. 2. §. 11.* Quod etiam ad alios nominis Christiani hostes, putà Turcas, Saracenos &c. rectè extenditur. per *d. Auth. Navigia ibi Christiano nomini inimica. Marc. Decis. Delphin. 424. in fin. vol. 2. Ant. Scapp. lib. 3. d. jure non scripto c. 32. n. 8.* nisi tamen cum ipsis aut pax facta sit aut commerciorum libertas intercedat.

Thef. XXX.

Quod ad res inventas attinet, dispiciendum utrum in locis territorii alicujus desertis & incultis, an in littore maris, an verò in loco, quà vulgò iter fit, inveniuntur. Si in locis desertis, videntur esse ejus conditionis, cujus sunt res pro derelicto habitæ, adeoque occupanti cedunt, quam sententiam ex plurium autoritate defendit Ripa in *l. 1. in pr. d. A. v. A. P. n. 14.* Sed Paulus & Socinus in eand. *l.* eas Domino territorii addicunt, & hos sequuntur *Ruin. cons. 26. n. 7. in primo.*

Curt.

*Curt. Jun. conf. 41. n. 9. & 158. col. 6. Roland. conf. 46. n. 34. in 3. quorum sententiæ calculum subjicit Peregr. d. l. n. 29. circa fin. eamque & nos admittimus, & hujusmodi loca deserta aut inculta, quæque iis inventa fuerint, occupari ab aliis posse contra Grotium negamus. Idem quoque secundo casu, si res veluti lapilli, margaritæ & similia in littore, quod populo occupatum est, inveniuntur: in non occupatis autem hodièque jus commune servandum, quo hujusmodi inventa cedunt inventori, §. 18. *Inst. d. R. D.* Hoc ita, nisi ab aliquo amissa fuerint, illudque aliquo signo vel argumento appareat; eo enim casu, uti etiam si in loco, quæ vulgo iter fit, inveniatur, domino est restituenda, & si ille quidem ignoretur, vel ipse inventor inquirere debet, vel ad magistratum eam rem deferre, qui proclamate publico aliove modo in dominum diligenter investigat, & ubi eum non adinvenit, tanquam res vacans & nullius apud Fiscum manet; vel ex Consilio Canonum in pauperes & pias causas erogatur. *per text. in c. non sanè c. 14. q. 5. can. communiter. in c. cum tu 5. X. d. usur.* Alioquin si inventor eam nulla inquisitione habitâ, sibi lucri faciendi gratiâ retinet, furti crimen non evitabit. *c. si quid invenisti c. 14. q. 5. Jason in l. rem qua nobis 15. colum. 3. d. A. v. A. P. Peregr. d. l. nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit ignoret l. 43. §. 4. d. furt. quum scire debuisset quod suum non est, omnibus modis alienum esset. ult. C. und. vi res etenim casu amissæ prioris domini manent. l. 9. §. ult. d. A. R. D. §. ult. Inst. eod.* Aliquando tamen inquisitione sufficienti habitâ, si dominus non appareat, res inventa inventori addicitur, præsertim si ipse sit inops, *arg. d. c. non sanè.* & tum ea pro derelicto etiam usucapi potest. *pr. Inst. d. usucap. tot. tit. ff. pro derel. Job. Kæppen decis 9. n. 11.* Quod vero Perez. *ad tit. C. de bon. vacant. n. 13.* putat, posse rem inventam post multam & sufficientem domini non comparentis inquisitionem,*

nem, quod rem dereliquisse videatur ab inventore retineri, seu inventor dives seu pauper sit, de jure communi verum est. Sed annon res inventa retineri potest, pro pretio inventionis? Resp. Neg. post *Public. in consuet. Avern. tit. 26. art. 6. n. 7. Boër. & Chassaneum Klock. d. arar. lib. 2. c. 115. n. 9. in fin.* quamvis ejus nomine honorarium ultrò ablatum honestè accipiatur. *annot. ibi.*

Thes. XXXI.

De thesauro qui *in l. 31. in §. d. A. R. D.* dicitur vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, eoque aliquam similitudinem bonorum vacantium præ se fert, quid statendum sit videamus. Non poterit autem hæc res aliter quàm distinctione componi, ita ut inspiciamus; utrum quis thesaurum in loco suo, an in alieno; II. an datâ operâ, an non datâ operâ & III. utrum licito modo, an non licito modo veluti magicis artibus inveniatur. Qui in loco suo invenitur thesaurus, totus inventori cedit, nisi data operâ, non impetratâ à Principe veniâ, quæsitus & inventus est; hic enim aliàs Fisco acquirebatur. *l. 1. d. jur. Fisc.* hodie verò id per. *l. un. C. d. thesaur. lib. 10. correctum & permissum domino, in loco proprio, non tamen sceleratis artibus thesaurum quærere, eumque ceu Dei beneficium sibi proprium facere. In loco autem alieno s. invitis s. volentibus dominis, nemo suo nomine thesaurum data operâ scrutari præsumat, aliàs totum domino reddere compellitur, & velut temerator legis punitur. Fortuitò tamen non studio scrutandi, fortè terram colendo, arando vel alio casu inventum ut fortunæ donum ut vocatur à *Jcto in l. 63. §. 1. d. A. R. D.* cum domino loci partitur.*

Thes. XXXII.

Sic etiam thesaurus, in loco Fisci vel Principis non data
opera

opera inventus, pro parte dimidia inventori, & Fisco vel Principi pro dimidio acquiritur. *§. thesauros 39. Inst. d. R. D. l. 3. §. pen. d. jur. Fisc.* & si in loco sacro vel religioso publico invenitur, dimidium inventoris & dimidium Fisci est *d. l. §. pen.* Si autem hunc thesaurum inventor ad Fiscum non detulit, sed suppressit, totum cum altero tanto cogitur solvere. *d. l. §. ult.* Extra hunc casum nemo se ipsum deferre tenetur. Hodie cum loca sacra & religiosa Ecclesia sibi vindicet, thesaurum in iis repertum Ecclesiae vel ejus Praelati esse asserunt. *Sixtin. d. regal. lib. 2. c. ult. n. 39. Peregr. d. jur. Fisc. lib. 4. t. 2. n. 7. Schneidervv. ad. d. §. 39. Inst. d. R. D. n. 9. bellè Bapt. Fragos. in Regim. Reipubl. Christianae part. 1. lib. 3. disput. 5. §. 2. n. 19. circa fin.* Quod nos à liberalitate Principis solum dependere statuimus.

Thef. XXXIII.

Sed sceleratis & magicis artibus inventus thesaurus semper ad Fiscum pertinet, *d. l. un. & 2. f. 56.* cujusmodi thesauri inventi exemplum de quodam Saraceno recenset Klock. *d. lib. 2. c. 117. n. 29.* quod ibi videre est. An autem ei, in cujus fundo nesciente ipso, eo modo thesaurus inventus est, non debeat dimidium, quaeritur? Et putat cum Alciato Sixtinus *d. c. ult. n. 34. & seq.* quod ab maleficio tertii eo non sit privandus; cum nemo unquam magicis artibus id efficere potuit, ut thesaurum in rerum natura non existentem produxisset, quam in rem verba Andr. Caesalpini in sua *Dæmon. investig. cap. 12.* subnectere lubet, ubi ita; *Thessaurorum quidem indagatores per magicas facultates multos novimus, sed qui assecuti fuerint, compertes non habeo &c. & Paul. Grillandus de sortilegiis quest. 3. n. 12.* ita; *Arte hujusmodi jaectant se posse invenire thesauros in locis valde remotis, & subterraneis absconditos, & quandoque inducunt homines ad talem insaniam, ut*

D

fo.

PIP

foveas quàm ingentes conficiant pro inveniendis thesauris hujusmodi. Et ista videtur mihi, quod sit una ex turpioribus illusionibus, quas Daemon homini faciat, quia in rei veritate nunquam legi, nunquam vidi, nec audivi, quonquam ex Necromanticis, Magis aut Sortilegis, hujusmodi aliquos unquam invenisse thesauros, aut aliàs aurum vel argentum, sed quam plures vidi huic operi incumbentes, qui mirabiliter conati sunt velle experiri, post multos labores & diabolicas observationes, demum nihil viderunt, nec invenerunt, quàm terram &c. Hæc illi. Nos censemus hoc casu, si fortè inveniatur, totum Fisco adquiri.

Thef. XXXIV.

Rectè itaque constitutum est, ut tales ceu Divini cultûs & bonorum morum contemtores non solum thesaurum (si quem fortè casu dum artibus suis utuntur, invenerint) non lucrentur, verùm amplius maleficio suo dignas pœnas luant *d. l. un. & t. t. c. d. malef. & mathem.* Sunt enim tales homines coram DEO abominatio, *Deuteron. 18. v. 11. 12.* Eoque magis pœnæ in eos acerbandæ sunt, si nomen Dei sumatur in vanum, aut quod horrendum dictu, Deo renuntietur, & cum Diabolo pactum fiat, de quibus Divinæ literæ præcipiunt; Maleficos non patiêris vivere. *Exod. 20. conf. Levit. 24. vers. 16.*

Thef. XXXV.

Hodie consuetudine omnes ferè Principes & jus Fisci habentes thesauros in territorio suo inventos, aut ubi jus bonorum vacantium obtinent, ad se pertinere asserunt. *Farinac. in sua prax. & Theor. crim. tit. d. var. & divers. quest. q. 104. inspect. 1. n. 32. Arnif. d. jur. Majest. lib. 3. c. 6. n. 23.* sive in loco privato s. publico s. in nullius, inveniantur, cum & peccent, qui adversus constitutiones pecuniam sepeliunt. *l. 4. §. 6. ad leg. Jul. pecut.* & thesaurus non sit pars fundi, adeo-

adeoque jure superioritatis Principis esse censeatur *Perez ad d. l. un. n. 14.* quippe ejus sit disponere de rebus, quæ nullius sunt, *Matth. Stephan. d. jurisdict. lib. 2. c. 7. n. 444. in fin.* Imò non dubitat *Cujac lib. 9 obs. 37.* asserere, adsignationem thesauri semper ex libidine Imppp. pependisse.

Thef. XXXVI.

Quæ hæctenus diximus, thesaurum propriè sic sumtum contingunt, cujus scil. memoria temporis, quo depositus sit, atque Dominus, cujus sit, ignoratur. *d. l. 31. §. 1. Gutierrez tract. d. tutel. p. 3. c. 26. n. 3.* Alioquin si quis tempore belli, incendii, aut necessitatis aliore in periculo, aut sponte suâ, custodia solummodò causâ thesaurum condiderit, eo numero censendus non est, sed manet ejus, qui eum deposuit, adeò ut si in aliena terra conditus sit, alter quò minus effodiatur, si de damno infecto cautum fuerit, nullam justam negandi causam habeat, sed ad exhibendum teneatur. *l. 15. ad exhibend. nec solùm ipse deponens sed & ejus successores eum thesaurum rectè vindicant, sibi que servant l. 67. d. R. V. l. 22. famil. erisc.* Exemplum huic rei conveniens pecuniæ ceræ inclusæ & ab herede inscio pro pura puta cera venditæ ex *Jasone ad l. 3. §. 3. n. 7. de A. P.* narrat *Klock d. arar. lib. 2. c. 117.* hisce verbis; Quidam Genuensis mercator veniens ex Hispania detulit secum in navi certam quantitatem ceræ, & in una pila ceræ reconditi erant *IVM. Ducati*; Mercator decessit, filius ejusdem vendidit ceram alii mercatori, qui eam spatio trium annorum & ultra tenuit & deinde vendidit Aromatario: Hic demum pecuniam in cera invenit: quærebatur cujus esset talis pecunia? Et concludit *Jason per d. l. 67.* quod pecunia hæc nomen thesauri assumere non poterat *d. l. 31. in §.* & filius primi mercatoris eam in cera esse ignorabat, ideo ad eundem pertinet. *per. d. l. 67.* Quod nos eo casu,

D 2

quo

quo filius mercatoris thesaurum à patre suo conditum cerâ esse probaverit, concedimus ; quod ex circumstantiis personæ, temporis, loci ipsâque imagine vel forma pecuniæ, quâ signata est, *Angel. & Plat. ad d. §. 39*, vel aliunde deprehendi & deduci poterit. Hæc de thesauro.

Thef. XXXII.

Quær. Quid de pecudibus, equis, vaccis aliisque animalibus aberrantibus statuendum ? Resp. Hic occurrit *text. in l. 3. §. 13. de A. P. verb. nam. pecus simulatque aberraverit, aut vas ita exciderit, ut non inveniatur, protinus desinit à nobis possideri.* unde concludunt, talem pecudem ejus fieri qui eam ceperit, hodieque Fisco sibi bona vacantia vindicanti adscribunt, quod præ cæteris in Regno Franciæ obtinere Author est Joan Faber *in §. Examen in pr. Inst. d. R. D. & Renat. Choppin. d. legib. Andium l. 1. c. 10. n. 14. & cap. 40. n. 10.* & in Hispania pecudes aberrantes post factam per aliquod tempus in dominum inquisitionem eo non invento, Camera Regiæ adjudicantur, vocanturque bona de Monstrenza. *Klock. d. l. c. 116. n. 34.* Utut autem hæc posterior consuetudo aliquam præ se ferat rationem, non tamen rei omnino satisfacit; Melius ergo & consultius facit Magistratus, si proclamate publico omnibus notum faciat, inventam esse pecudem, ut si quis se ejus dominum affirmet, intra constitutum rei conveniens tempus compareat; Si nemo comparet, Fisco rectè addicitur. *Angel. in repet. l. si vacantia coll. 5. C. d. bon. vacant. lib. 10. Aegidius Bossius tit. d. proclamat. n. 9. in tit. d. bon. vacant. n. 12.* Sin dominus apparet, non aliter ei pecus restituitur, nisi refusus expensis in pecudem factis, quas detentor ejus quasi per negotiorum gestorum actionem petit *arg. l. 6. §. si Titii ubi Barb. ff. d. negot. gest. Klock. d. l. n. 39.* Neque obst. *suprà alleg. l. 3. §. 13* nam id vult; si pecus ita aberraverit, ut non inveniatur,
pro-

protinus desinere à nobis possideri, non autem amitti quoque dominium ejus; Quod si verò in custodia nostra sit, nec inveniatur, licet cesset interim diligens inquisitio, nostra manet, eò quod in præsentia nostra sit. Quid Jure Divino hac in re cautum sit, exhibet text. *Deut. c. 22. v. 1. & 2.* Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum; Duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus & recipiat.

Thef. XXXIIX.

Quorundam quoque locorum consuetudine observatur, quòd Fiscus bona spuriorum ceu vacantia occupet, sive testamento facto, sive eo non facto spurii decesserint, Perez *ad l. C. d. bon. vacant. n. 13.* quia eos cum peregrinis comparant, qui testamenti factionem non habent *l. 8. l. 12. qui test. fac. poss. l. 1. & 2. ad leg. Falcid.* Sed illorum bona instar captivorum in Fiscum coguntur *l. 31. d. jur. Fisc.* Verùm male, non enim spurii eorum quæ juris Civilis sunt, incapaces habentur, nec rectè cum peregrinis comparantur; sic enim capere possunt, quod ipsis per ultimam voluntatem ab extraneis vel à personis conjunctis relinquitur. *Bald. Alex. & Dd. in l. si is qui ex bonis. d. vulg. & pupill. substit. Peregr. d. tract. lib 3. t. 18. n. 41.* & validè investiuntur de feudo etiam nobili *Francisc. Beccius conf. 18. n. 11.* Et amplius ab intestato matri aliisque per lineam maternam adscendentibus succedunt. *l. 8. l. 2. unde cogn. l. 1. §. 2. ad Sct. Tertull. & quidem unà cum legitimis defunctæ matris liberis, nisi mater sit illustris. l. pen. C. ad Sct. Orphitian. Struv. S. J. C. Exerc. 38. §. 23.* & econtrario & reciprocè ipsis succeditur ab adscendentibus per lineam maternam *d. l. 2. und. cognat. Struve d. Ex. th. 31. in fin.* Hodie spuriorum & naturalium appellatio ferè promiscuè,



scuè, sublato quippe concubinato, usurpatur, & ut plurimum generali bastardorum nomine veniunt, eoq; omnes qui ex non legitimo concubitu nati sunt, comprehenduntur. Cæterum heic locorum Sereniss. Electores Palat. non tantum in suo Principatu & Provinciis bona vacantia vindicant, verum etiam in terris & Dominiis adjacentibus, Ecclesiasticis & Secularibus, per præalleg. Impp. Diplomata gaudent privilegio & jure bastardos, ut & alios peregrinos, ceu Wildfangios, in priorum numerum adoptandi, eorumque bona mobilia ac immobilia, nomina & pignora aliaque ubicunque sita, cum absque descendibus aut legitimo ritoque testamento decesserint, ceu Principes territoriales vindicandi, ut habet præfatum Maximilian I. diploma *part. 1. c. 3. §. 1. Justit. Caus. Palat.*

Thef. XXXIX.

Non igitur his personis testandi facultas est adempta, sed possunt, sicubi velint, voluntatis suæ sententiam æquè ac alii per testamentum aliove legibus permisso modo exponere; licitumque est, quod iterum non redit, arbitrium *l. i. C. d. SS. Eccles.* Neque statim si cujus nullum elogium extat, Principi succedendi locus est, sed tum demum si sine descendente decesserit herede. Quo ipso partim, quod Jure Communi obtinet, statuitur, partim negatur. Statuitur in eo, quod ipsis testamenti factio non adimitur, *d. l. Conf. Chur. Pfaltz Lands Ordnung. tit. 8.* non minus ac Jure Civili, quo nihil magis hominibus deberi asseritur, quàm ut supremæ voluntatis liber sit stylus *d. l. i.* sed & in eo convenit cum jure communi, quod ascendentium, interque eos patris, vocando eum ad successionem nullam faciat mentionem, nam & Jure Civili pater spurio & bastardo non succedit, quod hic non habere patrem præsumatur. *§. 12. Inst. d. nupt. §. 4. Inst. d. succes. cognat. l. 5. d. in jus vocand.* Discrepat autem in eo, quod tantum descen-

scen-

scendentium, non etiam adscendentium neque collateralium mentio fiat, adeoque hi ab intestato non admittantur, nam inclusio unius est alterius exclusio. **C**æterum fallitur Perez ad *d. t. C. d. bon. vac. n. 11.* quando statuit, quod Fisco non aliter successio in talium bona competat, quam si in eodem territorio, in quo nati sunt, domicilium foverint, atque ibi sine liberis decesserint. **C**um enim ipsa persona sit affecta, illa se domino invito subtrahere nequit, *arg. c. ult. X. d. servit. non ordin.* quem semper persequentem habere dignoscitur *arg. tit. §. l. 2. d. fugit.* & bona non primario sed in consequentiam ratione personæ in casum non existentium descendendum vel testamentariorum heredum ad Fiscum Principis veniunt. Neque certo aliquo districtu inclusa bona capit, sed omnia defuncti bona, ubicunque sita sunt, ceu territoriali Principi absque ullius rei exceptione obveniunt, ut habent verba d. *Diplomatis.*

Thef. XL.

Videntur etiam huc referri posse vagabundi, nullibi certam fixam sedem habentes, die *Herrenlose Knecht und Gesinde* eorumque bona, item mercatores vacabundi, nec non mendici hinc & inde vacantes, die *in dem Land herum ziehende Bettelleute!* qui subditis molesti panem præripiunt, nec ullum Domino territorii obulum pendunt, de quibus *Reform. Polit. August. d. anno 1548. tit. von Bettlern und Müßiggängern /* ita cavetur, daß ein jede Obrigkeit / der Bettler ein ernstliches Einsehen thue / damit niemandes zu betteln gestattet werde / der nit mit Leibs-Schwachheit oder Gebrechen beladen / und des nit nothdürfftig sene; Item daß derselben Kinder zu den Handwercken oder sonsten zu Diensten angewiesen werden. **V**erum iis jus heredis habendi, nisi in locis, ubi Jus Albinagii viget, nullibi ablatum est. Sed ne extra limites nimium abeamus, hæc in transitu obiter. XLI.

Theſ. XLI.

Non tantum autem res privatorum, verum etiam Principatus, Ducatus, &c. vacare poſſunt, & meminit *Choppin. d. Doct. lib. 1. t. 12. n. 12.* in Imperio Romano integros Ducatus vocantes Fiſco Imperiali acceſſiſſe *Myll. ab Ehbrenb d. t. c. 68. §. 2.* quod ſi fiat, quid hodie cautum ſit, ſ. th. 17. dictum eſt. Et ipſum quoque Imperium R. G. mortuo Caſare, nec Romanorum Rege extante vacare dicitur, eoque caſu per Vicarios Imperii adminiſtratur *A. B. t. 5.* Papam mortuo, ſedes & Eccleſia Romana vacat, & per Cardinales certis limitibus ſuſtinetur. *Clement. c. 2. d. elect. & elect. poeſt.* Archiepiſcopatus, Epicoſopatus, poſt mortem Archiepiſcopi aut Epicoſopi vacat, ejuſque vicem certis modis Capitulum interim gerit. *Inſtrum. Pac. Caſ. Sued. art. 5. §. 6.* ſed ad caetera.

Theſ. XLII.

Demonſtrata jam ſatis bonorum vacantium qualitate, & quæ eo nomine veniant, ſuper eſt ut videamus, quo proceſſu quaque actione ea ad Fiſcum reſtudent, & quid eorum cauſa Fiſco praerſtandum incumbat. Antequam bona ceu vacantia à Fiſco occupantur, conſtare debet, num quiſquam ſit, qui ſe defuncto ex qualibet ſanguinis linea vel juris titulo junctum praedicet, aut alio titulo vel privilegio hereditatem ad ſe pertinere praetendat. Ad quod perveniendum proceſſus à Peregrino ſupra allegato loco n. 30. notatus conducit; Si Magiſtratus proclamante publico affixo denuntiet, ut ſi qui hereditatem Talis N. defuncti ſibi deberi putent, intra definitum tempus certo loco compareant, atque jura ſua allegato praerſentionis ſuae juſto titulo edoceant. Aliquo comparente, praerſenta ejuſ jura in contradictorio juxta *l. fin. C. d. bon. vacant.* diſcutiuntur, & probanti addicuntur; Ubi autem in probando deficit, ut appareat nullam contradicendi juſtam cauſam habuiſſe, bona per

per sententiam declarantur vacantia & Fisco addicuntur. *Sixtin. d. Regal. lib. 2. c. II. n. 37. Matth. Steph. d. jurisd. lib. 2. p. I. c. 7. n. 193. & seq.* Non tamen si aliqua bona de facto quis possideat, cujus injusta est possessio, ideo est spoliandus, sed debet citari possessor, ipsique dari dilatio juridica, ad faciendam defensionem suam. *Dd. in l. 2. C. si propt. pens. publ. defensionis enim facultas nemini est deneganda l. defensionis 7. C. d. jur. fisc. lib. 10. ubi Bart. & Plat.* Sin post factam citationem tempore elapso nemo compareat, qui hereditatem prætendat, ad instantiam Procuratoris Fiscalis Magistratus pronuntiat illa bona esse vacantia, & ad Fiscum pertinere, qui postea illorum possessionem apprehendit, & tanquam propria in suum commodum convertit vel ea distrahendo vel bonis suis incorporando. *rubr. & l. 3. d. t. C. d. bon. vacant. & eorum incorporatione.*

Thef. XLIII.

Ut vero omnia ritè & decenter fiant, nec quisquam postea querendi causam habeat, Fiscus ex officio curatorem constituere solet, qui bona antequam incorporentur, in libro bonorum Fiscalium, præmisso delationis titulo ritè ac solenniter describat, (quod olim per Comitem rerum privatarum, aut per Rationalem in quavis provincia commorantem fiebat *d. l. 3.*) & jurejurando obstrictus præsentem Fiscus patrono diligenter inquirat, cujus vacans cadensque fuerit patrimonium, quantum & quale videatur, citatis ad hoc iis, qui aliquam contradicendi causam habere putantur. *d. l. ult. C. eod. seu illi legatarii sint, seu creditores l. 1. §. 14. d. vent. inspic. ibi omnibus denuntiandum est.* cum omnibus defensionis facultas jus aliquod prætendentibus permessa esse debeat. *l. 3. & d. l. 7. C. d. jur. fisc. lib. 10.* Aliquando etiam ipsi creditores, necessitate id flagitante, fortè quod hereditas non-

E dum

dum adita sit, & in ea reperiantur, quæ servando servari non possunt, aut hereditas jacens non solvendo putetur, petere possunt, ut curator bonorum detur. *l. 2. d. curat. bon. dand.* qui aliquando ex consensu majoris partis creditorum constituitur *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* & si major pars convenire nequit, iudex arbitratur vel ex officio, ut modo dictum, curatorem dat. Major pars juxta *d. l. fin.* consideratur vel respectu calculi & quantitatis debitæ, vel respectu personarum. *Guil. Anton. de Freundenberg d. Rescript. morat. tit. 6. conclus. 16. n. 36.* Potest etiam aliquis creditorum curator esse, qui negotia defuncti debitoris gerat, per *text. l. 13. d. negot. gest. l. 2. §. 4. d. curat. bon. dand. Gail lib. 2. Obs. 130. n. II.* Consistit autem officium curatoris præter inventarii confessionem, in hereditatis defensione, responsione & exceptione contra intentas actiones, quibus hereditas pulsatur; sed & ipse hereditatis actiones exercere & à defuncti tutore vel curatore rationes exigere potest. *Hartm. Pistor. Obs. 193. n. 3.* repræsentat enim nomine hereditatis personam defuncti rei. *l. 34. d. A. R. D.* & creditoribus hereditariis satisfacit *l. 1. §. ult. d. t. d. cur. bon. dand.* si quid superest, id ut vacans Fisco cedit.

Thef. XLIV.

Bona vacantia adquiruntur quidem Fisco ipso jure, verum ut dominium rerum singularium naturaliter & pleno effectû capiat, debet ille primò ea agnoscere, vel si ut heres institutus succedat, sicut alii heredes, solo saltem animo & voluntate adire. *l. 88. d. A. vel. O. H.* eam tamen prærogativam habet, quod per procuratorem hereditatem adeat, *l. 1. §. fin. d. procur. Cesar.* quod privatis aliàs negatur, nam illi per alium hereditatem non adeunt *l. 90. d. A. vel O. H.* hereditatis enim aditio legitimus actus est, *l. 77. d. R. J.* qui per

per alium non expeditur. *l. 123. eod. l. 3. d. off. Procons.* Secundò ipsa possessio, licet vel per sententiam bona ut vacantia adjudicentur, accedere debet, non minùs quàm in hereditatis acquisitione, ubi aditio nudo animo facta rerum hereditariarum possessionem non tribuit, sed ut possideri dicantur, earum possessionem apprehendere necessum est. *l. 23. d. A. vel A. P.*

Thef. XLV.

Occupatis sita bonis, Fiscus instar heredis actiones quoque instituere potest; unde resultat quæstio, an igitur Fiscus jure proprio, an tanquam heres bona vacantia vindicet? Prius affirm. quia non tam personæ, quam bonis heredem non habentibus succedit *Perezad nost. t. n. 32.* nam si personæ succederet, necessum esset vel ex dispositione vel ex lege succedere, at ut bona vacantia sint, nullus omnino seu ex testamento seu ab intestato extare debet secundum suprà dicta. Non obst. *l. 128. in §. d. R. J.* ubi qui in universum jus defuncti succedunt, heres dicitur. Neq; verum, est quod Fiscus in universum jus defuncti succedat, quod demum fit, quando vel ex testamento, vel ab intestato ex lege succeditur; Et secundò aliud est heredem esse, aliud loco heredis haberi. Posterius, non prius, Fisco tribuimus, nisi alia mens testatoris appareat ut in *l. 114. §. 2. d. legat. 1.*

Thef. XLVI.

Quod si res aliqua inter Fiscum & privatum communis sit, eam Fiscus totam socio etiam invito alienare potest. *l. un. C. d. vendit. rer. fisc. cum privat. com. lib. 10.* Id quod privato non permittitur. *l. 2. C. d. comm. rer. alien.* Recipit tamen Fiscus socius suæ partis precium. *d. l. un. verb. reliquum dominis partium restituatur.* Ad hoc autem ut procedat talis venditio à Fisco facta, requirunt, ut præsentì pecuniâ res sit vendita

dita, atque reliquum dominis partium restitutum, aut ab ipso Fisco præstitum, quia non cogitur fidem de pretio habere, nec ejus conditio deterior fieri debet, adeo ut Fiscus talem rem neque locare neque in feudum vel emphytheusin concedere possit; Nam verba textus tantum de venditione loquuntur, quæ non nisi pretio interveniente perficitur, *l. 36. l. 72. §. 1. d. cont. emt. l. 8. C. eod.* Nobis autem verius videtur, socio aliud remedium non superesse, nisi ad petendum precium. *d. l. un. in fin.* Integrum tamen est socio, si ipse velit rem emere, offerre pretium, quo casu cæteris præfertur emtoribus. *arg. l. 8. d. in diem addict. l. 1. d. privileg. credit. aliàs l. 16. d. reb. auth. jud. Bald. in d. l. 2. Peregr. d. jur. fisc. l. 6. c. 4. n. 23.*

Thes. XLVII.

Sicut autem juxta *l. 10. d. R. J.* secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, ita quoque Fiscus obligatur omnibus defuncti creditoribus, iisque satisfacere debet. *l. si marito 31. solut. matr.* transeunt enim bona cum suo onere, nec quicquam bonorum cujusque esse intelligitur, nisi quod deducto ære alieno superest. *l. 11. d. jur. fisc. l. 72. d. jur. dot. & si in partem tantum bonorum successit, pro quantitate eorum creditoribus satisfacit. d. l. 31.* Non tamen tenetur Fiscus ultra vires hereditatis. *l. 1. §. 1. d. jur. fisc. per. text. l. 8. §. 1. qui test. fac. poss. l. 51. §. ult. de fidej. Imol. & Alexand. in rub. ff. d. acq. hered. Peregr. d. tr. lib. 4. t. 3. n. 25.* & hæc sententia communiter recepta teste *Jason. in l. scimus. §. 1. d. jur. delib. Clar. in fin. quest. 78. n. 30.* siue inventarium fecerit siue non fecerit, quia non capit bona ut heres, *Peregr. d. l. n. 25.* sed tanquam possessor pro æstimatione bonorum *d. l. 1. §. 1. d. jur. fisc.* convenitur. *Perez. ad l. 1. n. 34.* quamvis tutius agat, si inventarium fecerit.

XLVIII

Thef. XLVIII.

Ex iis quæ thef. præcedenti dicta sunt, quod Fiscus creditoribus hereditariis satisfacere debet, oritur Quæstio; An non æquè teneatur præstare legata & fideicommissa in deserto testamento relicta? Extant quidem in utramque partem non infimi subsellii Dd. quorum alii affirmativam, alii negativam sustinere satagunt; Qui affirmativam tenent, pro confirmatione sententiæ suæ allegant, l. 96. §. 1. d. legat. 1. cujus verba hæc sunt; *Quoties lege Julia bona vacantia ad Fiscum pertinent, & legata & fideicommissa præstantur, quæ præstare cogeretur heres, à quo relicta erant, & l. 6. §. 3. ad Sc. Trebell. ubi Fiscus nolens fideicommissa præstare tenetur, nec non l. 14. d. jur. Fisc. ubi libertates & legata præstat. Verum his non obstantibus eorum sententiæ adstipulamur, qui statuunt quod Fiscus regularitater ad præstanda legata & fideicommissa aut id genus alia capitula in bona vacantia succedens non teneatur, quia non succedit tanquam heres, ut modò dictum, herede autem non existente, seu quod non vult, seu quod non potest hereditatem adire, in testamento scriptum non debetur, l. 9. d. test. tutel. l. 14. C. d. fideicom. nam si nemo subiit hereditatem omnis vis testamenti solvitur. l. 181. d. R. J. ut ne quidem libertates, quamvis aliàs favorabiles arg. l. 122. d. R. J. à Fisco in bonis vacantibus succedente præstentur. l. 50. d. manum. test. Quod tamen fallit, quando testator etiam à Fisco præstari legata ac fidei commissa voluisse videtur; uti, si reliquit, cum sciret Fiscum successurum l. 114. §. 2. ff. de legat. 1. Neque obstat nostræ sententiæ d. l. 96. §. 1. nam ibi Fiscus succedit ex lege Julia caduciaria, seu Papiâ, quæ de bonis caducis agit: hujusmodi autem caduca improprie vacantia dicuntur; quia heredem habent, qui & jure potest esse heres, nec repudiat quoque, sed ab eo hereditas ad Fiscum devolvitur, quia in-*

E 3

di



030
 dignus est, vel ante apertas tabulas deficit. Perez *ad n. r. n.*
 36. Neque obst. *d. l. 6. §. 3.* Nam ibi quæstio tractatur, an
 Fiscus qui bona non vult agnoscere, & fideicommissario re-
 stituere, possit cogi ex Scto Pegasiano. Et rectè dicitur, æ-
 quissimum visum esse, quasi vindicaverit, sic Fiscum restitu-
 tionem facere. Non magis obst. *l. 14. d. jur. fisc.* ibi enim
 de hereditatibus, quæ ex Scto Syllaniano vel similibus causis
 Fisco vindicantur, agitur; adeoque verba illa (*ex quibuslibet
 aliis causis*) id volunt, si ex quibuslibet aliis causis, quæ con-
 fiscationem hereditatis inferunt, vel merentur, ea Fisco addi-
 cantur, ex. gr. Si heres ex alio capite se hereditate indignum
 reddiderit, de quo *l. 1. ff. & C. d. his que ut indign. auf.* Ad
 ultimum Affirmantium refugium ex *l. 10. d. jur. fisc.* quâ in du-
 bio contra Fiscum pronuntiando non delinquitur & quod
 eandem sententiam in dubio teneamus.

Thef. XLIX.

Hinc jam patet differentia successionis fiscalis simpliciter
 consideratæ, quatenus in proposita nostra materia accipitur,
 dum scil. Fiscus nulla alia ex causa in bonis succedit, quàm
 si nullus adsit heres, qui ea vindicet; Et quando in bona
 succedit ex causa aliqua, quæ heredem hereditate indignum
 esse jubet. Priori enim casu legata & fidei commissa non præ-
 stantur; posteriori autem ex persona damnati, vel incapacis
 præstanda veniunt *l. 3. §. ult. ad Sct. Trebell. ibi Fiscus cum suis
 oneribus hereditatem acquirit*, nec enim legatariis & fideicom-
 missariis delictum heredis nocere debet. *arg. l. 22. C. d. pæn.*
 & subintrat Fiscus in jus & onus condemnati, tanquam uni-
 versalis successor. *Barbosa ad l. si constante §. fin. n. 8. sol. matrim.*
Perez d. l. n. 36. in fin. Rectè autem suprâ traditum est, quod
regulariter non teneatur, aliàs si ex prælumta testatoris volun-
 tate Fiscus ad legata & fideicommissa præstanda oneratus sit,
 ea præstare debet, quod tum maximè fit, si testator scivit bo-
 na

na sua ad Fiscum perventura vacantia ut in *l. 114. §. 1. d. legat. 1.*
 aut si ex causa taciti fideicommissi ad Fiscum pertinent *l. 3. §.*
4. de jur. fisc. unde Q. an Fiscus eo casu teneatur adire bona
 vacantia? Sic putant per *l. recusare 6. §. 3. ad Sct. Trebell.*

Thef. L.

Superest, ut qua ratione finiatur hoc jus occupandi
 na vacantia breviter addamus. Et scil. ipsi occupationi
 modi bonorum præscribitur quadriennio, ex quo c
 vacasse. *l. 1. C. d. Quadr. præscr. l. 1. §. 2. ff. de Jure Fisci.*
ff. Si quis om. caus. test. l. 10. ff. de Divers. præscr. & si
 ista antequam nunciata sint Fisco, tamdiu possedit, p
 tus est contra Fiscum. *d. l. 1. C. de Quadr. præscr. d. l. 6. §.*
 quadrienni præscriptio differt ab illa, quæ traditur in
Inst. de Usucap. & non ad res fisci, sed ad res alienas à
 venditas pertinet. Si verò ex bonis vacantibus, antequam nunci
 ciata sint, res quasdam singulares tertius adquirat & possideat,
 jure communi eas usucapit. *l. 18. ff. de Usucap. Sixtin. de Regal.*
lib. 2. c. 9. n. 55. Utrumque inquam, ante nunciationem, nam
 cum nunciata jam sunt fisco, vel ipsius facta, neque bona ipsa,
 neque res inde ab aliis possessæ usucapi possunt. *l. 2. C. comm.*
de Usuc. d. l. 18. præscriptio tamen 40. annorum agentem fi
 scum excludet. *juxta l. ult. C. de fund. patr. lib. 11.*

Thef. LI.

Priusquam discursui nostro filum ubrumpimus, congru
 um videtur, quorundam locorum consuetudines, juri bono
 rum vacantium aliquatenus accedentes subnectere; Equidem
 in Regno Neapolitano consuetudo ab hoc jure bona vacan
 tia occupandi, non in totum aliena viget, quâ bona peregri
 norum intestatò mortuorum (Garagangos vocant) in Fiscum
 coguntur. *Matth. d. Afflictis Constit. Neap. d. off. Secret.* In
 Gallia simile Albinagii Jus obtinet, quo Rex succedit in bona
 ejus, qui in regione extera natus, in Francia comorans mortuus
 est

est, exclusis à successione liberis parentib⁹ aliisque sanguine junctis
 extra Regnum natis, ademtâ simul morienti de rebus suis dispo-
 nendi facultate; adeo ut contractus celebrare, & inter vivos do-
 nare nemo talium prohibeatur, nisi res donata post mortem
 adhuc extans in Filci fraudem alienata videatur *arg. l. 8. §. 7.*
quib. mod. pign. solv. Bacquet tract. du droit d'Aubeine part. 1. c. 19.
 hanc consuetudinem etiam apud Sabaudos vigere refert. *Chop.*
d. Doman. Franc. l. 1. t. 11. n. 6. Apud Anglos omnes adve-
 collatorales, etiam fratres & soreres à successione per Fil-
 cluduntur. *Schult. quest. pract. 6.* Et simile quoddam
 Albinagii consuetudine introductum in Hannonia obser-
 testatur *Gudelin. d. Jur. Noviss. lib. 5. c. 10.* vigore cujus omnia
 erorum bona mobilia & immobilia, exclusis defuncti pro-
 pinquis, Filcus occupat. *Perez. ad nost. tit. n. 19.* exceptis ta-
 men, Germanis & Brabandis. *Leg. Hannon. c. 86.* In Litua-
 nia, Turcia, Moschia, Tartaria totam peregrinorum heredita-
 tem imperium tenentes sibi vindicant *Sigism. Baro ab Herberst.*
in histor. Moscov. Tolos. comm. d. Rescr. c. 30. n. 11. Sanè quàm
 à jure communi recedant hæ consuetudines, ex *Auth. Omnes*
peregrini C. comun. d. success. deprehendere licet, quæ peregrini
 de rebus suis liberam testandi facultatem permittendam esse
 præcipit, abrogatis statutis, consuetudinibus, vel privilegiis con-
 trarium statuentibus; imprimis prava illa consuetudine, qua bo-
 na apud se degentium & post decedentium peregrinorum hos-
 pites sibi arrogabant, constitutâ in transgressores poenâ tripli
 nec non de rebus suis facultate ordinandi ademtâ. Quintamen
 à peregrinis hereditarias res aliorum transferentibus aliqua
 pars detractionis jure, vulgò *Abzug* oder *Nachsteuer* rectè exigi
 possit, non dubitandum, *Gail. 2. Obs. 36. Besold. in thes. pract. voc.*
Nachsteuer. Sed enim cum instituti ratio hæc de re plura disere-
 re non luadeat, hæc quamvis ab aliis forsan uberius tractata de-
 siderari possent, hæc tamen sufficiant, & sic

TRIUNI LAUS GLORIA HONOR.

ULB Halle

3


002 703 793




Sbc

V077







DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
BONIS VA
CANTIBUS

(vulgò) von
Erblosen Dütern /

QVAM

Triuno adfistente
DECRETO ET AUTHORITY
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,
In Perantiqua Electorali
HEIDELBERGENSI UNIVERSITATE
SUB PATROCINIO
VIRI MAGNIFICI CONSULTISSIMI
DN. HENRICI COCCEJI
ANTECESSORIS ET CONSILIARII
STATUS ELECTORALIS PALATINI
MERITISSIMI

Patroni & Præceptoris sui
perenni observantiæ cultu Iuspiciendi

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET
PRIVILEGIA RITE CONSEQUENDI.

Publico Eruditorum Examine subijcit

PHILIP. REINHARDUS Frühweiller/
Neostad. Palat.

Ad D. Decembr. MDCLXXXIII. H. L. Q. S.

Heidelberga, Literis SAMUELIS AMMONII, UNIVERSIT. Typogr. 12